

decisum refert *D. Raynald. in observ. crimin. supplet. 7. ad cap. 1. num. 34.*, & etiam quod Capti nondum se recepissent in Ecclesia, sed transirent per spatium dd. 30. passuum, in quo pariter fierent Nundinae, vel Mercatus, ut respondit *Sac. Cong. Immunit. die 19. Augusti 1692.* ad petitionem Illustrissimi, & Reverendissimi Zauli Episcopi Verulani meritissimi Vicegerentis in Urbe, quo ad Ecclesiam S. Mariae ad Nives distitam Frusinone vix adhuc per unum milliare, ut videre est in suis observationibus Canonicis &c. *observat. ad rubr. 30. lib. 5. num. 59. tom. 2.*

Idque indistinctè, sive Transeuntes in manibus Curiae implorent beneficium Immunitatis, vel non, quia posito, quod locus, per quem fit transitus sit immunis, & quod transeuntes ipsi deberent gaudere Immunitate, privandi ea non sunt esto quod, vel non invocent beneficium Immunitatis, vel positivè consentiant, aut declarent, quod inde extrahantur, nam Immunitas conceditur principaliter loco, secundariò personis confugientium. *Sperell. decis. 59. num. 1.*, & *decis. 504. num. 73.* & *seqq. Frances. Episc. Barbastren. de compet. Jur. inter Cur. quæst. 71. num. 8.* *Pignatell. tom. 3. consult. 28. num. 2.*, & sic eidem Immunitati, ut superius tactum fuit, nec expressè, nec tacitè renunciari potest. *Pax Jordan. tom. 2. lib. 11. tit. 3. de Immunit. num. 259.*, & alii apud eundem. *Pignatell. tom. 9. consult. 7. num. 1.*

Præterea sequeretur, quod statim ac Rei ducuntur ad Palatium Episcopi ubi extat Tribunal erectum, ibidem examinandi, vel constituendi, illicò essent in pace dimittendi, quia Palatium Episcopale gaudet Immunitate ad Text. in *Can. id constitutum 17. quæst. 4.*, ubi DD. communiter; Etiam si distet ab Ecclesia Cathedrali ultra 40. passus, & nullum habeat Oratorium, sive Cappellam. *Delben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 11. sect. 14. per tot. Fagnan. in cap. Ecclesiae num. 29. de Immunit. Eccles. alii que apud Pignatell. tom. 6. consult. 36. num. 4.* ubi de communi.

Undè cum prædictæ illationes, & sequelæ, absurda sint manifesta, & passim videamus, quod in prænaratis casibus cessat privilegium Immunitatis, ut in specie, quod non gaudeant detenti in Carceribus dum Sacerdos accedit ad administrandum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ex quo

sunt in posse Curiae, in sententiam omnium Doctorum firmat *Delben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. sect. 7. num. 5.* palam inde fit, quod debet esse in sua libertate, qui vult se tueri Immunitate, & reiicienda est contraria opinio, unde ipsa absurda oriuntur. *Iason. in l. rogasti in princip. col. fin. ff. si cert. petat. Alex. conf. 140. in fin. vol. 1. Gabr. conf. 94. num. 7. vol. 1. Cassador. decis. 20. de Caus. posses. & propriet. Sperell. decis. 34. num. 29. vers. Est enim.*

Certiùs, attentis literis Sacrae Congregationis Immunitatis de ordine Sanctissimi ad Eminentissimum Episcopum Viterbii usque de anno 1634. sub die 14. Februarii, in quibus permittitur Condemnatis ad Tirimas, ut possint incedere bini per Civitatem Vetulam, catena ferrea pedi cujusque alligata, præmissa tamèn explicita declaratione, quod alter alterius sit Custos, & detentor, idque ad effectum, ut ingrediendo Ecclesiam, neuter eorum allegare valeat Immunitatem, cum liber non ingrediatur, quarum literarum tenor, est qui sequitur videlicet *Premendo senza fine à N. S., che non si segua pregiudizio all' Immunita Ecclesiastica, e che sia rimossa l' occasione di controversie trà il Tribunale Ecclesiastico, e Secolare di Civita vecchia quando li Forzati, e Condannati, che ivi si trovano fuggono à luogbi immuni; perciò Sua Beatitudine hà commandato, che per l' avvenire li sudetti Forzati, e Condannati vadino almeno à due con catena assieme legati, e con dichiarazione espressa, che uno servi per Custode dell' altro, di modo che non possa dirsi, che liberi confuggino à luogbi immuni, e per conseguenza, come tali habbino à pretendere di godere l' Immunita della Chiesa; Il che si avvisa à V. E., alla quale bastarà sapere esser ciò la volontà di N. S., perche sia esattamente servita.*

Cui quidem resolutioni, sive Declarationi ad stipulatur alia Declaratio ejusdem Sacrae Congregationis in una *Hieracen. sub die 26. Septembris 1651.*, in qua dictum fuit, quod non gaudeat Immunitate, qui non liber, sed retentus à Birruariis transit per Ecclesiam, & est casus de quadam Muliere, quæ dum ducebatur ad Carceres, & fugam arripuit ad Ecclesiam, eamque fuit ingressa, non potuit gaudere Immunitate, ex quo non introivit totalitè libera, sed retinebatur per faldam à Birruariis, ut videre est penès *Panimoll. decis. 95. adnot. 1. num. 29. in fin. & num. 31.* ubi dat aliam declarationem Sac.

Con-

Congregationis Immunitatis in una Cariaten sub die 29. Maii 1646., quæ rescripsit in hæc verba *Oratorem debere gaudere Immunitate Ecclesie quatenus liber è manibus Custodis extaret dum portam Ecclesie apprehendit.*

Respondetur secundò, quod præcitati Doctores, qui sequuntur affirmativam pro Immunitate, quoad hoc nullam faciunt auctoritatem, nam (ultra quod eorum dicta ita simpliciter sumpta confunduntur, & communiter reiiciuntur à tot aliis Doctoribus, & numero, & rationum pondere majoribus) in specie *Cassanæus in Consuetud. Burgund.*, cui obiter, & articulo non examinato adhæret *Fagnan.*, & priùs adhæserant *Mantua, Remig., Visib., Peguer, Clar. Bonacoss. Giurb., & Peregrin.* relati in Consultatione §. *Sicut*, nuncupatim refellitur à *Farin. quæst. 28. num. 69.* & *Cartbar. decis. 7. num. 4.* quos sequitur *Sperellus* acerrimus Ecclesiasticæ Immunitatis propugnator in *decis. 104. num. 62. & 64.*

Fagundez, & Diana, quamvis dicant affirmativam pro Immunitate esse probabilem, ac magis piam, & idcirco in praxi servandam, nihilominus nullam assignant validam, & solidam rationem, quæ est anima legis, & spiritus qui vivificat Doctorum opiniones; quinimò ultrò fatentur negativam esse probabiliorum, & viorem, prout ita per prius appellaverat *Gygas de crim. les. majest.*, quem respectu asserti casus occurri Venetiis reiicit *Farinacius d. quæst. 28. num. 69.* atque magis à Doctoribus receptam dixerat idem *Peregrin. de Immunit. d. cap. 5. num. 7. vers. Pro resolutione.*

Delbene connumerandus non est inter DD. affirmativam sectantes, cum teneat opinionem negativam, & simpliciter ait *in fine*, videndos esse *Fagundez, & Diana in locis supracitatis*, quos denique confutat *Matthæus Sanz. de re crimin. controu. 7. num. 9. & 10.* ea ratione, quia judicandum est secundum leges, quibus non debemus esse clementiores, nec oportet, ut motivo pietatis ipsos Canones extendamus ad reprimendam audaciam eorum, qui passim Immunitate freti crimina committunt, prout his præcis verbis advertit *Covar. lib. 2. var. cap. 23. num. 3. relat. à Sanz. ubi supra.*

Gambacurta, in cuius auctoritate fit magnum fundamentum, non ita intrepidè, ut asse-

titur, tuetur opinionem affirmativam, sed illam absque ulla convincenti ratione præter eas binas rationes, quas corruere supra dictum est, simpliciter sequitur post relatos aliquos Doctores hinc indè, propterea non attendendus, dum præsertim in materia Immunitatis quandoque claudicavit errando circa Iuris principia, ut ait idem *Sperell. decis. 103. num. 36. & 43.*, & multas huius Authoris opiniones circa Immunitatem esse reiiciendas, docet idem *Diana part. 1. tract. 1. resol. 12.*, & in *Coordinat. tom. 9. de Immunit. resol. 126. num. 2.* *Sperell. decis. 65. num. 5.*, ubi quod ob similes malè fundatas rationes, & sententias ejus tractatus fuit prohibitus donec expurgaretur.

Declarationes Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium in *Sipontina, Theanen, & Hieracen. de anno 1613.* quas citant *Delben. in addit. & Nicolius, ubi supra*, & reperire non potui apud *Pignatell. & Lantusc.* nimis vagè relatos, minimè afficiunt, uti antiquatæ, attentis dictis posterioribus declarationibus in *Viterbien. de anno 1635. Hieracen. de anno 1651. & Cariaten. de anno 1646.* quibus omnino standum est, cum præsertim nitantur auctoritatibus, & rationibus superius adductis, ut bene ad propositum *Pignatell. tom. 1. Consult. 108. num. 13.*

Et quoad exemplum superstitionis veneratio nis Ethnicorum erga inanium Deorum Tempia, ut si quis victus Aedes Flaminis Dialis introisset, solvi necessum erat, & vincula foras in viam deiici, nullatenus est immorandum, quia Immunitas Ecclesie, quæ est Domus Dei nostri, & quam decet Sanctitudo, non indistinctè omnibus largita est, sed ex piissimis, & insimul æquillimis sanctionibus tam Cæsareis, quam Canonicis conceditur solis Confugientibus, & inter Confugientes plures sunt, qui ob gravitatem criminum ea non gaudent, ut ex litera textus in *l. si servus. C. de bis qui ad Eccles. confug.*, cap. *inter alia de Immunit. Eccles. & prædict. Constitut. Gregor. XIV. quæ incipit. Cum alias*, quam per extensum registrant *Ambrosin. de Immunit. Eccles. fol. 1. Pax Jordan. tom. 2. lib. 11. tit. 3. num. 1. Delbene de Immunit. tom. 1. cap. 8. Bull. 7. Greg. XIV.*, & alii passim.

Respondetur tertid, quod opinio affirmativa pro Immunitate intelligenda est, & procedere potest, quotiescumque Captus extra

locum Sacrum ducatur ad Carceres, Triremes, vel supplicium per Ecclesiam, Cœmeterium, aliumque locum immunem, & per transitum à manibus Birruariorum eripiat, & liber remaneat, etiam quod esset vinculis, & catenis ligatus; tunc etenim utique gaudere debet Ecclesiastica Immunitate, & in hoc sensu benè adaptantur Authoritates prædictæ. Secus verò si transeundo nunquam evadat à manibus Birruariorum, ut in casu, de quo agitur, nam tunc nullatenus suffragatur privilegium Immunitatis; & hæc est verior, communior, & receptior distinctio, qua conciliantur Doctorum dissidentium opiniones, ut ex *Cortiad. d. decis. 84. num. 9. post Azaved. Gutierrez. Laynez. addit. ad Gamm. Aylon. Cutel. Merlin. Pignatell. contrav. cap. 56. à num. 9. Farin. in Appendic. de Immunit. num. 200. Giurb. conf. 30. nu. 17. Barbosa. de Jur. Eccles. univers. lib. 2. cap. 3. num. 58. in fin. Scaunanol. de visit. Carcer. lib. 3. cap. 9. num. 16. 17. quibus addendi sunt, Novar. in summ. Bullar. tit. de Immunit. Eccles. nu. 24. Pax. Jordan. tot. 2. lib. 11. tit. 3. de Immunit. num. 227. Antonell. de regim. Eccles. part. p. lib. p. cap. 9. §. primo num. 5. Ricc. decis. 263. part. 4. Cartbar. d. decis. 7. num. 5. Frances. Episc. Barbastren. in Past. Regim. p. 3. vot. 2. à num. 4. & vot. 8. nu. 45. & de compet. Jur. inter Cur. quæst. 79. num. 26. Bonden. colluct. legal. 40. nu. 42. Possent. singul. Canon. centur. 2. singul. 174. num. 2. Sabell. §. Immunitas sub nu. 12. vers. sed dictum, & novissimè Episc. Barusius in Torculo Juris resol. 19. num. 9.*

Et secundum hanc distinctionem in Civitate Barcinonæ decisum fuit quendam Petrum Serra, qui funibus ligatus transfiverat in specie per Cœmeterium ductus à Ministris, non gaudere Immunitate; Et de converso gaudere Antonium Pons extractum ab alio Cœmeterio, per quod ducebatur ligatus super Asino, à manibus tamen Officialium illo tunc liberatus, ut de utroque casu testatur idem *Cortiad. d. decis. 84. num. 4. & 8.*, ubi assignat rationem de hoc secundo casu, nam licet ligatus reverà non sit liber, non est tamen verè captus, idèdque actus ille, qui libertatem, & servitutem sapit, regulandus est à libertate tanquam à digniore, & sic talitèr ingrediens in locum immunem, censendus est potius

liber, quàm captus, & citat, *Merlin. contravers. for. cap. 56. à num. 11. lib. 2.*

Nec obstant tria fundamenta, quibus, præsciendò à regulis, & conclusionibus generalibus, præcipuè motus fuit Illustrissimus Præful ad declarandum pro Immunitate, ut modò ait in d. Consultatione, satis superque elaborata (saltem ex revolutione tot foliorum, quæ inibi punctualitèr citantur) quæ tamèn asseritur cursim extensa in gratiam plurimum Amicorum usque de anno 1688. in puncto sub die 6. Septembris in §. *Ego autem. Quorum* Primum est, quod non poterant Birruarii transire per Cœmeterium ad facilitandam capturam Mazzocchii extrà locum immunem existentis, nam hoc modo transeundo dicuntur insultare, & invadere Ecclesiam, & contrà eam maximam irreverentiam committere.

Secundum, quod secuta carceratione nequiverint Birruarii iterum per Cœmeterium transire cum ipso Capturato, ex quo poterant exire per alià Mansionem, sive Stantiam contiguam, quæ habet Januam ad Viam publicam, adeout eorum transitus fuerit omninò cerveloticus, & voluntarius. Tertium, quod Birruarii præoccupaverint portam Cauponæ, ex qua perveniri poterat ad locum Sacrum, & sic dolosè impediverint Mazzocchium, eumque angustia verint, nè posset se recipere in Ecclesia. Non enim obstat primum, quia *Cortiad. decis. Cathalon. 65. num. 12. & 13.*, qui id firmat, quique singularitèr citatur in Consultatione §. *Primum est*, supponit in figuratone casus, quod aliundè Birruarii potuissent tutè ire ad capiendum Reum, & hoc non obstante pertransierunt per Ecclesiam, tanquam locum tutiorem pro faciendâ captura, ibi -- *ut tutius capiant Reum* -- hinc aliunde poterant tutè capere, cum comparativum præsupponat suum positivum ad text. in l. ubi autem §. primo ff. de verb. oblig., *Anton. Maceraten. lib. 3. resol. 2. num. 7. Surd. decis. 65. num. 8. Pignatell. tom. primo consult. 83. num. 4. Rot. coram Duran. decis. 137. num. 12.*

In situatione tamèn loci, de quo agitur, tantum abest, quod extet aliquod spatium tutum, & non immune, per quod, dempto Cœmeterio, adiri valeat Caupona, ut nec minùs illud figurari possit per aerem, quia

quia ipse aer loci immunis, est immunis usque ad Cœlum. In puncto *Cardos. in prax. Judic. & Advoc. verb. Ecclesia nam. 77.*, quem refert *Barbos. tom. 2. lib. 3. voto 117. num. 43.*, Atque idèd cum Birruarii redargui non possint de aliquo actu irreverenti, dum reverà non voluntariè, sed necessitate ducti pertransierunt per Cœmeterium, sequitur quod ob eorum transitum nullo modo violata remansit Immunitas Ecclesiastica.

Ulteriùs in idem, & fortiùs, dum *Cortiada* asserit, quod in Cathalonia de anno 1578. die 7. Decembris fuit judicatum, quod talitèr captus per Birruarios transeuntes per locum immunem gaudeat Immunitate Ecclesiastica, fatetur nihilominùs, quod ex post de anno 1604. (re melius considerata, ut supponendum est) fuerit decisum contrarium, quod non gaudeat, & cum hac decisione ait pertransire *Peguer. decis. 51. in fin. part. 2. & Despuis ad Ferrer. part. 3. observant. cap. 251.*

Et quamvis ipse *Cortiad.* existimet primam sententiam esse sequendam propter injuriam, & violentiam, quam Officiales fecerunt Ecclesiæ eam insultando, ac invadendo, præsupponit, quod non tantum simplex transitus fiat per locum immunem, sed etiam insultus, vel aliqua alia violentia, & patet evidentèr, quia in comprobationem sui dicti citat non alium Doctorem, nisi *Vermigliolum conf. 102. num. 7.*, (Omissum, & Neglectum in Consultatione), qui solum ait, quod Immunitas violatur nedum extrahendo, verum etiam insultum faciendo, & verberando in loco immuni, quod non facit ad casum, in quo proculdubid, nil aliud fecerunt Birruarii, in loco immuni, quàm simpliciter transire per eum; cumque iste transitus consideratus absque ulla ex prænarratis circumstantiis, nemo dixerit, quod sit actus prohibitus, censetur utique permissus, ad generalitèr tradita per *Menoch. de præsump. lib. 6. præf. 16. num. 4. Mascard. de probat. concl. 1277. num. 2. Barbosa. axiom. 178. verb. Permissum num. primo. Gratian. discept. forens. cap. 870. num. 36. Pellizzar. de Monial. cap. 10. sect. 3. subsect. 2. quæst. 2. n. 250. vers. quod si aliqui.*

Minùs urget secundum, quod scilicet redierint Birruarii cum Carcerato per Cœme-

terium quando poterant exire per Mansionem contiguam, nam quomodocumque progrediantur Birruarii cum Carcerato per locum immunem, sive ex necessitate, sive voluntariè, fat est, quod ipse Carceratus non se liberet ab eorum manibus, ad hoc ut excludatur à præsidio Immunitatis, etiam quod imploraverit confugium, & ratio est, quia liber non transit, prout ex superabundantèr firmatis, præsertim in §. *Respondetur tertio.*

Distinctio autem voluntarii, & necessarii transitus, ut in hoc, non in illo casu cesset Immunitas, (quam distinctionem ingeniosam appellat *Dian. part. p. resol. 30. num. 4. & in Coordinat. tom. 9. resol. 505. num. 4.*, aptius dixisset peregrinam) fit solum à *Peregrino de Immunit. cap. 5. num. 8.*, quem referunt, & non sequuntur idem *Dian. ubi supra, & in sum. part. prima verb. Immunitas Ecclesiarum num. 35. in fin. Delben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 10. sect. 7. sub. num. 6. Cutell. de Immunit. lib. primo quæst. 30. num. 2. & Cortiad. d. decis. 84. num. 3.*

Hinc gratis asseritur in Consultatione §. *Alterum est*, quod omnes Doctores, qui sequuntur opinionem negativam, quod nempe transiens non liber per locum immunem non gaudeat Immunitate in hoc conveniant, quod transitus per Ecclesiam teclufa necessitate, & sic merè voluntarius, sit prohibitus, & quod proindè Ecclesia sit reintegranda, quoniam, excepto *Peregrino*, Doctores in eodem §. citati id non dicunt, nam *Sabell. in §. Immunitas num. 12. circa principium*, refert solum adesse alios ita distinguentes, & distinctioni adhærere *Manar. noct. malincon. interrogat. 69. fol. 117.*, sed eos non approbat.

Sperell. d. 104. n. 60. & sequen. & per tot., nec verbum quidem de hac distinctione, *Cutell.*, ut dixi, eam refert, sed non sequitur, *Boer. decis. 100. n. 8. & sequen. Geron. de Immunit. lib. 3. cap. 16. n. 35. Megal. conf. 46. Villagut de extens. leg. cap. fin. num. 40. & Bobadill. in Politic. tom. primo lib. 2. cap. 14. nu. 61 in glos. lit. B.*, omnes in d. §. *Alterum est* citati absque solita numeratione foliorum, convincuntur transcripti adamussim, ut jacent (præsertim *Boer.* cum eademmet citatione mendosa, nempe *decis. 100. loco decisionis 110.*) à *Delben. de Im.*